



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus VIII. De Auctoritate & Usu Pallij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULUS VIII.

De

Auctoritate & Ufu Pallij.

QUÆRES 1. Quid sit Pallium? Resp. est Ornamentum sacrum de corpore Divi Petri sumptum, quo officii pontificalis plenitudo confertur. Dicitur 1. Ornamentum sacrum, est enim specialiter benedictum. Dicitur 2. de corpore divi Petri sumptum, vel quod de Jure à solo Summo Pontifice S. Petri successore conferatur, vel quod significet particulam ecclesiasticæ potestatis, derivatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ in Beato Petro ejusque successoribus residente, ut colligitur ex cap. significasti 4. b. t. Dicitur 3. plenitudinem officii pontificalis conferens. Quia ante impetrationem Pallij, Archi-Episcopus etiam consecratus nequit exercere actus majores. cap. 3. b. t. Quales sunt, convocare Synodos, consecrare Episcopos, dedicare Ecclesias, conferre ordines cap. 28. de elect. horum enim actuum potestas ipsi cum pallio communicatur.

OBJICIES 1. Olim etiam Patriarchæ conferebant pallium, videlicet Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus & Jerosolymitanus, ut notatur in cap. 23. de privileg. Ergò malè dicitur pallium à solo Pontifice conferri. Resp. Concedo anteced. Nego conseq. illi enim pallium conferebant ex privilegio, & speciali gratiâ sedis Apostolicæ, Papa autem illud confert de jure.

OBJICIES 2. Archi-Episcopus ab alio Episcopo invitatus, potest in ejus diœcesi dedicare

dicare Ecclesias, conferre ordines, conficere chrisma; ergo horum actuum potestas non communicatur illi cum pallio. Resp. concedo anteced. N. consequent. Archi-Episcopus enim in alienâ Diœcesi non utitur pallio, & non consideratur nisi ut simplex Episcopus, in propriâ autem diœcesi facit functiones suas ut Archi-Episcopus, & consequenter pallio indiget, cum sine pallio Archi-Episcopus nequeat appellari cap. 3. h.t.

OBIICIENS 3. Archi-Episcopus licet pallium nondum impetraverit, potest similes actus suffraganeo suo delegare; ergo & in personâ propriâ facere. Resp. concedo anteced. Nego consequ. Ratio est, quod delegatio sit actus jurisdictionis, non ordinis, Jurisdictio autem Episcopo etiam ante consecrationem conceditur.

QUÆRES 2. Quinam utantur pallio & ubi? Resp. pallio utuntur, Pontifex, Archi-Episcopi & ex speciali privilegio quidam Episcopi, videlicet Hostiensis, paviensis; sed cum differentiâ: Pontifex enim eo utitur semper & ubique, reliqui certo tempore in Bullâ expresso, in Ecclesiâ tantum, & quidem in diœcesi suâ, non extrâ. cap. 1. 4. 5. 6. & 7. h.t.

QUÆRES 3. An usus pallij personalis sit an verò realis? Resp. privilegium pallij Archi-Episcopis & quibusdam Episcopis concessum reale esse, usum autem esse personalem, ita ut in alium transferri nequeat, cum morte impetrantis expiret, & sepeliatur. cap. 2. h.t. hinc nec successor antecessoris sui pallio utitur, nec translatus eo quo in Ecclesiâ priore utebatur, datur enim cum respectu ad certam Ecclesiam, tempus autem petendi pallium in jure deter-

determinatum non est, sed datur quando petitur; nec denegatur objecto crimine, nisi illud infra duos menses probari possit, & obijciens ad pœnam talionis se obliget. *extravag. unic. h. t. inter commun.*

TITULUS IX.

De

Renuntiatione.

QUÆRES 1. Quid sit renuntiatio? Resp. renuntiare sumitur dupliciter, genericè & specificè renuntiare in genere est favori pro se introducto cedere, quod ab unoquoque fieri posse, ex notissimâ juris regulâ patet. Specificè autem & prout hujus loci est, definitur renuntiatio, *resignatio beneficij spontanea & libera, ex justâ causâ coram legitimo superiore facta.* ex quo patet, tria ad renuntiationem requiri *primo* requiritur libertas in resignante; resignatio enim coactè facta in tantum est odiosa sedi Apostolicæ, ut cogens, si laicus fuerit sententiæ excommunicationis, si Episcopus, suspensionis, si inferior clericus pœnæ privationis subjaceant. *clem. 2. de pœnis. secundo* requiritur consensus superioris, qui quo ad Episcopos est solus Pontifex, quo ad alios inferiores clericos, ordinarius *cap. 4. h. t. tertio* requiritur justa causa. *cap. 10. h. t.*

QUÆRES. 2. Quot & quænam sunt causæ renuntiandi? Respond. ab Innoc. III. *in ctt. cap. 10.* sex causas enumerari, ex quibus licentia cedendi seu renuntiandi peti & impetrari possit, quæ his verbis comprehensæ sunt.

E

Debilis